



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

61 Suspendio ex notorio concubinato tollitur per paenitentia[m], sed non irregularitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO LVIII.

Ex conf. 63. alias 58.

58 **C**um suspensio ab officio generalior sit, quam suspensio a divinis, suspensus a divinis, illis intercedendo, pluiquam suspensus ab officio irregularis non erit, Ita Innoc. in c. fi. de exco. prel. & Nau. in Man. c. 27. num. 163.

DECISIO LIX.

Ex conf. 64. alias 4. de cler. excom. ministr.

59 **E**piscopus a divinis suspensus, quamvis actus ordinis, & officij exercere non possit, & exercendo irregularitatem incurrit; c. 2. §. fi. de re iud. in 6. Missam tamen, & officia divina audire, confiteri, communicare, non solum extra suam dioccesim, sed etiam intra eam, immo intra ecclesiam cathedralem, ut quilibet alius Dominus laicus, potest, dummodo Missam coram se auctoritative celebrari non faciat.

DECISIO LX.

Ex conf. 65. alias 56.

60 **S**uspensus excommunicatus, vel interdictus ante denuntiationem euitandus non est, & iurisdictionem publicam valide exercere potest. Extra. ad euitanda Mart. V.

DECISIO LXI.

Ex conf. 66. alias 17. de cle. exco. ministr.

61 **S**uspensio, quæ per concubinatum notorium incurritur, c. nullus, c. præter. d. 32. c. scilicet in titulis, 1. §. q. 8. ipso iure per penitentiam tollitur, c. si qui sunt, d. 81. & gl. ibi, & ait Nau. in Man. c. 25. nu. 77. & c. 27. nu. 154. irregularitas tamen orta, vel ex concubinato publico, vel ex celebratione publici fornicarii ipso iure per penitentiam non tollitur, ita Nau. in Man. c. 25. num. 77.

DECISIO LXII.

62 **P**apa ab irregularitate nec absoluit unquam, nec ab ea facultatem absoluendi facere censetur; nisi id exprimat, etiam si in Bullis clausula illa, [Te a quibusvis censuris absolventes,] addatur.

DECISIO LXIII.

Ex conf. 67. alias 4. de corp. vitiat.

63 **C**lericus minorum ordinum, qui per infirmitatem, & ægrotudinem omnes digitos utriusque pedis, exceptus pollicibus amittit, irregularis non efficitur, sed ad maiores ordines ascendere, & beneficium obtentum retinere potest; c. qui partem. c. si quis a medicis, & c. si quis in ægrotudine d. 55. cum nullus defectus, partis membri irregularitatem quempiam reddat, nisi magnam deformitatem inducat, aut impotentem ad viendum ordinibus faciat, c. 2. de corp. vitiat. & Nau. in Man. c. 27. num. 298. & 306.

DECISIO LXIV.

Ex conf. 68. alias 41. de homicidio.

64 **Q**ui archibulum, rota non flexa, super scamno dimittit, & exinde aliquis ex rote tactu occiditur, irregularitatem ex homicidio casuali, & dispensabili ob huiusmodi actum illicitum, & in non flectendo rotam commissam negligentiam incurrit, & Nau. in Man. c. 27. num. 219. & 239.

DECISIO LXV.

65 **S**uspensus ab Altaris ministerio, nulla facta mentione de fructuum receptione in sententia ab ordinario suo lata, fructus beneficii ante suspensionem, & irregularitatem questus, cuius neque titulum, neque administrationem fructuum, irregularitas superueniens tollit, ex Inn. in c. cum nostras, de concess. præb. percipere potest; eo quod

suspensio, & suspensio ab altaris ministerio, res diuersæ sunt; Glof. in Clem. cupientes, de pen. a diocesis autem non fit illatio, l. Papinianus, ff. de minoribus, præsertim ad penam ampliandam, c. pœna. de penit. d. 1.

DECISIO LXVI.

Ex conf. 69. alias 12. de cler. exco. ministr.

66 **E**piscopus bona fide, & sine animo contraveniendi decretis Concilij Tridentini, ses. 6. c. 5. de refor. Pontificalia in aliena diecesi, ubi eum morari contingit, sine licentia Episcopi diecesis exercens, consecrando nimirum Calices, vel Corporalia suspensionem incurrit, & si postea celebret, aut alia munera episcopalia administret, irregularis efficitur.

DECISIO LXVII.

Ex conf. 70. alias 3. de cler. non ord. ministr.

67 **D**iaconus, qui ut talem se gerens, & non ut sacerdos, puerum solemniter baptizat, presente & annuente parochio quamvis in foro exteriori irregularis iudicari possit, quia præsumitur baptizasse tanquam presbyter, usurpando officium presbyteri, ex Nau. in Man. c. 27. num. 242. si tamen sine dolo, aut contemptu id faceret putans id sibi licere ex licentia parochi, in foro conscientie irregularis non erit, Pan. in c. pastoralis, §. verum de appell.

DECISIO LXVIII.

Ex conf. 71. alias 6. de eta. & qual. ord.

68 **S**acerdos ante legitimam ætatem ordinatus, irregularis efficitur, & sicut interdictus ad Missam celebrandam, & alios quoscumque actus specialiter ordinibus deputatos inhabilis redditur, nec sine peccato in officijs, defunctorum, verba illa [Dominus vobiscum] aut orationes, quas presbyteri soli in huiusmodi officijs proferre solem, dicere potest, cum sui actus peculiariter presbyterorum sint; sic tamen irregularis nouam irregularitatem celebrando non incurrit, cum nullus irregularis celebrando contra iura, aut ministrando in officio, nouam irregularitatem incurrat, Inno. recep. in c. si celebr. de cler. excom. ministr. & Nau. in Man. c. 27. num. 194. quamvis ante obtentam dispensationem celebrando mortaliter peccet. Argu. c. fi. de tempor. ord. & c. inquisitionis, de accusat. quia irregularitas neque vera suspensio est, neque censura ecclesiastica, & ita celebrans illa irritus nullam violat censuram, nec aliquid aliud, cuius violatio nouam infligat irregularitatem, nemo autem sit irregularis, nisi in casibus a iure expressis, c. is qui, de sent. excom. in 6. & Nau. in Man. ca. 17. num. 194.

DECISIO LXIX.

Ex conf. 72. alias 15. de cle. excom. ministr.

69 **E**xcommunicatus, & interdictus celebrando duas irregularitates, seu vnam ex duplici causa incurrit, arg. c. cum pro causa, de sen. exc. & c. ex parte, de offi. ordin. sed vna sine altera tolli potest; cum non sit maior ratio, cur ex vna, quam ex alia causa incuratur, dici autem non potest ex neutra incurri, sicut etiam qui contra duo præcepta vno actu peccat, totidem peccata committit, quo præcepta transgreditur, aut vnum peccatum tot circumstantijs necessatio confitendum, quot præcepta est transgressus; vnde duplici dispensatione indiget, aut vna ex duplici causa, & vna sine altera tolli potest, sed tamen donec altera tollitur, sublacione alterius vti nequit, d. c. ex parte.

DECISIO LXX.

Ex conf. 73. alias 1.

70 **F**emina quamvis non iure communi, ex Papa tamen privilegio excommunicare, & prædicare, sicut & laicus, potest, eo quod semina iurisdictione ecclesiastica habere potest, c. dilecta de maior. & obedi. c. dilecta. de excess. prel. qui vero iurisdictionem ecclesiasticam habet, etiam si clauis non habeat excommunicare valet, ex S. Th. 4. d. 18. q. 2. ar. 2. q. 2.